

# DE DUOBUS LOCIS HORATIANIS ARISTIPPO PENDENTIBUS

Horatium Aristippi philosophiam nosse rationemque vitae Cyrenaicae laudasse ex ipsius poetae verbis conicere facile est; qua de re, vir huius temporis lingua Latina eruditissimus, A. Traina, optime disseruit<sup>1</sup>. Neque haec fefellerat virum doctissimum G. Perrotta<sup>2</sup>. Sunt tamen duo loci quos tractare velim. Plutarchus Chaeronensis, in libello qui *De curiositate* inscribitur, cum nimiam in rebus nullius ponderis sollertia hominum opprobrat, tum antiquos philosophos magnis et summis negotiis animum intendentis laudat. De Aristippo Cyrenaeo singillatim haec tradit<sup>3</sup>: καὶ Ἀρίστιππος Ὄλυμπίασιν Ἰσχομάχῳ συμβαλὼν ἡρώτα τί Σωκράτης διαλεγόμενος οὕτω τοὺς νέους διατίθησι, καὶ μίκρ’ ἄπτα τῶν λόγων αὐτοῦ σπέρματα καὶ δείγματα λαβὼν οὕτως ἐμπαθῶς ἔσχεν, ὥστε τῷ σώματι συμπεσεῖν καὶ γενέσθαι παντάπασιν ὠχρὸς καὶ ἰσχνός ἄχρις οὐ πλεύσας Ἀθήναζε διψῶν καὶ διακεκαυμένος ἡρύσατο τῆς πηγῆς καὶ τὸν ἄνδρα καὶ τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ τὴν φιλοσοφίαν ιστόρησεν, ἥς ἦν τέλος ἐπιγνῶναι τὰ ἑαυτοῦ κακὰ καὶ ἀπαλλαγῆναι. Haec mira Aristippi animi commotio, quae Isomachi verbis effecta est, illum animi motum Horatii, cum Catii doctrinam audivisset, in memoriam mihi de his rebus

---

1) A. Traina, Orazio e Aristippo, RFIC 119, 1991, 285–306.

2) G. Perrotta, Orazio, Pan 1935, anno III vol. IV, p. 336–363.

3) Plut. de curiositate, p. 516 C, ed. M. Pohlenz/W. Sieveking, Lipsiae 1929 = Aristippus, fr. 2 Giann. (Socratis et Socraticorum reliquiae, collegit G. Giannantoni, vol. II, Napoli 1990).

inquirenti redigit. Horatii verba, quaeso, cum lege, quae scripsit in Serm. 2,4, 88–95:

*docte Cati per amicitiam divosque rogatus  
ducere me auditum perges quocumque memento.  
nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,  
non tamen interpres tantundem iuveris adde  
vultum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus  
non magni pendis quia contigit; at mibi cura  
non mediocris inest, fontis ut adire remotos  
ataque haurire queam vitae praecpta beatae.*

Plutarchum verba ipsa Aristippi legisse atque in suo opere conscribendo verbis simillimi usum esse, facile intelleges si legeris quae in libello, qui *De cupiditate divitiarum* inscribitur, scripsit (p. 524A–B = Aristipp., fr. 73 Giann.): quin homines obiurgans verbis ipsis Cyrenaici philosophi usus sit, dubium non est.<sup>4</sup> Similitudo conspicua est inter Plutarchi locum quem supra memoravi et Hor. Ep. 2,146–148, quod iam satis constat inter viros doctos: qua re nostra sententia confirmatur. Redeo ad Hor. Serm. 2,4. Loquitur poeta de vultu habituque hominis, quod cum his verbis Plutarchi comparandum est: καὶ τὸν ἄνδρα καὶ τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ τὴν φιλοσοφίαν ιστόρησεν. Horatii *ducere me auditum, perges quocumque, memento* Aristippi navigationem in memoriam reducit. At fontis imagine vitaeque praeceptis locos inter se arte coniunctos esse demonstratur. Lege denuo mecum:

*at mibi cura  
non mediocris inest, fontis ut adire remotos  
ataque haurire queam vitae praecpta beatae.  
Et: ἡρύσατο τῆς πηγῆς καὶ τὸν ἄνδρα καὶ τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ τὴν φιλοσοφίαν ιστόρησεν, ἵν τέλος ἐπιγνῶναι τὰ έαυτοῦ κακὰ καὶ ἀπαλλαγῆναι.*

Haec fortuita esse ne Iudeus ille quidem Apella crederet. Extitit liber de suae vitae casibus ab Aristippo conscriptus. Quo nomine inscriptus est? An Ἐνύπνιον<sup>5</sup> nominatus est? De hoc libello cogitare haud absurdum videtur, quippe Lucianus Samosatensis librum, quo de sua ad eloquentiae artem conversione narrat, eodem nomine inscriptis. De Προτρητικός cogitare noli: non solebant enim antiqui in libris protrepticis vitam suam tractare. Si de aliis operibus coniectare velis ad Bionis Διατριβάς animum attendere poteris. Tractavit sine dubio Bion Borysthenita in *Diatribis* suis Aristippi vitam, ut e Diogenis Laertii verbis patet (2,77 = fr. 7 Giann.): potuit hic Apulus poeta multa de nostro philosopho discere. At prima via, Horatium in ipso libro Aristippi, qui Ἐνύπνιον inscriptus est, huius philosophi ad vitam beatam conversionem legisse, magis mihi arridet; in iocum postea vertisse, ut Catium ludificaretur, satis patet.

Venio ad Stertinii orationem a Damasippo relatam, quae in Serm. 2,3 legitur. Sunt versus quidam, quos Aristippum movisse puto. In versibus 64–73 de creditoris insania agitur: docet Stertinius non minus credidores quam debitores qui creditas

---

4) Ex eodem Aristippi loco pendere Hor. Serm. 1,1,70–71 perspicuum esse mihi videtur.

5) Cfr. Diog. Laert. 2,83–85.

pecunias solvere nolunt insanire. Eadem olim docuisse Aristippum credo, ut e *Gnomologio Vaticano*, 743 n. 31 = fr. 85 Giann. elicui. Legitur enim ap. l. cit.: ὁ αὐτὸς [scil. Aristippus] ἐγκαλοῦντός τινος ἀνθρώπῳ τινί, ὅτι λαβὼν ἀργύριον οὐκ ἀπέδωκε, “σαυτῷ δὲ”, φησίν, “οὐκ ἐγκαλεῖς, εἰ μὴ ὁρθῶς ἐδοκίμασας, φέδιδους;”. Nemo dubitet, quin haec philosophus noster amplius tractaverit. Sed quantum Horatius Aristippo debuerit ignoramus.